

tibus ad illum; et sic debetur illi cognitio ejus potius quam aliarum cogitationum, quia hoc ipso quod est pertinens ad illum, et aliæ non pertinent, illius cognitio est debita, non aliarum.

Ad secundam confirmationem respondetur distinguendo antecedens; conceptus non ordinatur ad alterum, neque est illi manifestus ex vi suæ expressionis, distinguo; ex vi suæ expressionis absolute factæ, et in ordine ad se tantum, concedo; ex vi suæ expressionis comparativæ, et ordinatæ ad alterum, nego: ordinatio enim non fit formaliter per actum voluntatis, sed per actum intellectus, qui proprie est collativus, et ordinativus de rebus: voluntas autem solum est principium movens per volitionem suam ut intellectus ordinet, et disponat de rebus, et conceptibus, sive in ordine ad se, sive in ordine ad alterum, qua voluntate præsupposita intellectus exprimit, et producit conceptum repræsentantem rem, non præcise, et absolute, sicut in ordine ad se, sed cum ordine ad alterum, quatenus exprimit rem illam ut intimandam alteri, aut cum imperio, aut cum deprecatione, aut alio modo, et illa habitudo exprimitur in conceptu, non quidem ut objectum reflexe cognitum, et in actu signato, sed ut exercitium cognoscentis; et dirigentis, et sic locutio semper est actus intellectus sic ordinative exprimentis, licet præsupponat actum voluntatis. Quod vero dicitur de excitatione, qua Angelus excitat hominem, respondetur homines non excitari nisi mediante sensu, a quo dependet omnis eorum cognitio. Unde oportet immutari sensum hominis ab Angelo, sive exteriorem, sive interiorem, ut excitetur: sensus autem non immutatur ad cognoscendum, nisi per aliquam speciem, quam accipit ab objectis, vel

de novo in se formatur, aut in memoriam reducitur, quod sine aliqua immutatione corporali non fit. Quod totum secus accidit in Angelis, qui nec excitantur per sensus, nec excipiunt species ab objectis; et sic non possunt excitari, sicut homines.

XXXI. Postremo ex dictis colliges, quomodo in locutione Angelorum nihil obstat distantia, vel indistantia, quia sicut unus Angelus potest cognoscere rem aliquam naturalem a quacumque distantia, et ubicumque sit, eo quod non accipit species a rebus nec ab ipsis earumque actione dependet, ut moveatur ad cognoscendum, ita potest cognoscere locutionem, et conceptum alterius Angeli quantumcumque distans sit; quia in hoc non movetur ab Angelo loquente accipiendo ab eo speciem, sed speciem quam in se habet de Angelo loquente, hoc ipso quod in loquente producitur conceptus ordinatus ad alterum, hoc ipso illum cognoscat, sicut cognoscit rem naturalem hoc ipso quod producitur physica in rerum natura ubicumque producat. Unde distantia, vel indistantia quoad hoc nihil operatur. Similiter intelligitur quomodo in Angelis intelligatur lingua, nutus, et signa, quibus loquuntur: est enim lingua ipsa vis expressiva conceptuum erga alterum, ut dicit S. Thomas in hac quæstione CVII, articulo primo. Nutus autem, et signa sunt ipsi conceptus, et ordinatio eorum ad alterum quatenus sic proponuntur, quod eodem modo cognoscibiles redduntur alteri sicut ipsa natura, et substantia, et potentia Angeli cui coordinatur, et tamquam aliquid illius cognoscitur hoc ipso quod dirigitur ad alterum ut ad eum pertinet. Unde S. Thomas quæst. IX de veritate, art. IV ad XII dicit, quod: « Nutus, et signa hoc modo possunt

in Angelis distinguui, ut signum dicatur ipsa species, nutus autem ordinatio ad alium, sed possibilitas hæc faciendi dicitur lingua. »

ARTICULUS II.

Quid sit illuminatio in Angelis, et quibus conveniat?

I. Nomine illuminationis in Angelis intelligimus non simplicem locutionem, sed quæ manifestat alteri veritatem cum magisterio, et doctrina, id est, taliter disponendo, et coaptando illam pro captu alterius, quod ex vi talis pro positionis possit eam percipere, et intelligere: tunc enim est manifestatio quasi clarificans, et illuminans alterius mentem ad percipiendam veritatem. Hanc ergo illuminationem inter Angelos dari supponimus contra Durandum, qui in secundo, dist. XI, qu. III dicit, omnes Angelos a Deo solo illuminari licet illa illuminatio prius tangat unum Angelum quam alium. Cæterum dari talem illuminationem in Angelis, ita ut unus vere alium doceat, et illuminet aperte docet S. Dionysius VIII cap. cœlestis hierarchiæ, probans quod Angeli secundæ hierarchiæ purgantur, illuminantur, et perficiuntur ab Angelis primæ hierarchiæ. Et hoc communiter tenent omnes scholastici, quia doctrina Dionysii in hac parte firma habetur: ea enim quæ de Angelis docuit, a D. Paulo, et ab Apostolis videtur accepisse. Nec Durandus absolute eam negavit, sed interpretatus est, quod Dionysius loquatur de illuminatione Angelorum, quæ fit a solo Deo, mediantibus tamen Angelis, non mediatione causæ inter eos, quasi unus causet lumen in altero, sed mediatione consequentiæ, quatenus prius natu-

ra tangit unum quam alterum, quia unus est dignior altero. Attamen Dionysii mentem hæc interpretatio non tangit, cui ab alii patres subscribunt. Nam c. IV cœlestis hierarchiæ, expresse docet quod: « Hæc lex a Deo sancita est, ut in unaquaque hierarchia, et primi sint, et medii, et postremi ordines, inferiorumque superiores doctores sint, eique quasi digito viam monstrent. » Et capite septimo dicit: « Cherubim plenum esse munerum, quæ sapientiam efficiant, eaque large copioseque communicat natura cum secundis, sapientiæ quæ concessa est, effusione. » Ac denique c. VIII: « Hoc, inquit, in universum divina præscriptione ac lege pro Dei dignitate sancitum est, ea quæ secunda sunt primorum procuratione participare divinis illustrationibus. » Hoc autem non potest explicari de illustratione solum mediante consequentiæ, et non mediante causalitate, cum esse doctorem, efficere, et communicare sapientiam, inferiores participare eam procuratione superiorum, manifestam causalitatem designet in docendo, et illuminando. Idem tradit S. Athanasius libro de communionem similibus essentiæ; Damascenus lib. II de fide, c. III; Bernardus lib. V de consideratione c. IV aliique patres. Certe ratio ipsa persuadet quod cum Angeli sint pure intellectuales, et in perfectione intellectualitatis inæquales, unus alio subtilius, altiusque intelligat: ergo poterit illas subtiliores intelligentias, inferioribus manifestare, ut eas percipiant: hoc autem illustrare, seu illuminare est. Quomodo autem circa beatam visionem unus Angelus alium non illuminet, quia in hac non docebit vir proximum suum, nec civitas illa cœlestis indiget sole, et luna, quia claritas Dei illuminat eam, sed solum quoad aliqua quæ ad accidentalem

beatitudinem spectant Angeli illuminari possint ab aliis, infra expediemus.

Hoc ergo supposito, tria circa illuminationem Angelorum discussione indigent. Primum circa formam illuminationis, quomodo fiat: secundum, circa materiam, de quibus fiat: tertium circa personas, de quibus fiat, et a quibus. Circa primum:

II. Dico primo: Illuminatio non est actio aliqua physice influens, et effective intra intellectum Angeli illuminari aliquod lumen, vel speciem, sed solum externe proponit objectum clarius, et manifestius: habet tamen duo officia illuminatio Angeli sic externe proposita; alterum ex parte virtutis intellectivæ in Angelo illuminato, scilicet determinare, vel confortare illam erga talem veritatem: alterum ex parte speciei, scilicet proportionare illam objecto representato, ut juxta suum modum talis veritas ibi reluceat. In hac conclusione eodem modo est disconvenientia inter auctores, sicut circa locutionem Angeli: illuminatio enim quædam locutio est, et solum addit supra locutionem communem, quod fiat cum quodam magisterio, et per modum docentis ab eo qui illuminat, seu veritatem minus cognitam explicat. Unde illi qui tenent locutionem Angeli fieri per impressionem alicujus speciei in mente audientis, tenent etiam quod illuminatio fit per impressionem speciei novæ in intellectu illuminati. Quam sententiam ex aliquibus antiquis, ut Scoti, Ocham, Gabrielis, Richardi, et aliorum sequitur Suarez libro VI de Angelis, cap. XIII. At vero Cajetanus super hanc quæstionem CVI, art. I tenet quod illuminatio fit per solam externam propositionem objecti, non per physicam influentiam in intellectum Angeli illuminati. Quam sententiam

sequitur Vasquez hic disp. CCXVI, cap. V, licet existimet sententiam Cajetani non esse ad sensum D. Thomæ. Et eandem sententiam sequuntur communiter discipuli D. Thomæ, et ex antiquioribus Alensis, Bonaventura, Ægidius, et alii, et ex recentioribus Arrubal, Granados, Turrianus, et alii quos citant, et sequuntur Carmelitani Salmanticensis disp. XIV de Angelis, dubio II.

III. Nos existimamus eandem esse expressam sententiam D. Thomæ, quod illuminatio fiat per propositionem objecti, ut docet qu. IX de veritate, art. I ad II, ubi inquit quod: « Ab Angelo illuminante non fit novum lumen, naturæ, vel gratiæ, nisi ut participatum: cum enim omne quod intelligitur ex vi intellectualis luminis cognoscatur, ipsum cognitum in quantum hujusmodi includit intellectuale lumen, ut participatum, ex cujus virtute habet intellectum confortare, sicut patet quando magister tradit discipulo aliquod medium alicujus demonstrationis in quo participatur lumen intellectus agentis. » Ubi patet nihil physicæ influentiæ, sed externæ propositionis intervenire inter magistrum, et discipulum, et concludit D. Thomas, quod: « Non fit in Angelo illuminato novum lumen naturæ, vel gratiæ, sed lumen quod prius inerat confortatur per lumen contentum in cognito percepto a superiori Angelo. » Lumen autem quod diffunditur mediante ipso cognito sic percepto non infunditur aut producitur effective, et physice intra intellectum alterius Angeli, sed mediante objecto proposito illuminatio fit. Objectum autem propositum physice non influit in intellectum Angeli, quia non producit in eo speciem, sicut fit in sensibus. Nec dissentit D. Thomas, sed hoc ipsum confirmat in hac quæ-

tionem CVI, art. I ad II, ubi docet quod: « Unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, sed confortando lumen naturale ipsius, et manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ, et gratiæ, et gloriæ, » ut dictum est, scilicet in corpore articuli. Quare duo illi effectus, quos ponit D. Thomas in corpore articuli resultare ex illuminatione Angeli, semper veniunt intelligendi cum ista restrictione posita in solutione ad secundum, scilicet quod hoc fiat non tradendo aliquod lumen naturæ, gratiæ, vel gloriæ: ergo non physice influendo, quia omnis physicus influxus in intellectum traditio luminis est. Quare Cajetanus juxta mentem s. doctoris locutus est.

IV. Prima ergo pars conclusionis constat ex his quæ de locutione Angelorum dicta sunt, quod non fiat per impressionem speciei in mente audientis, et quæ supra diximus disputatione XXI agendo de infusione specierum in mentibus Angelorum, quod non possit fieri ab ulla causa quam a Deo immediate, ita quod non possit unus Angelus etiam suis speciem in alterius Angeli mente imprimere, ut ibi videri potest art. III, circa tertiam conclusionem. Angelus enim non potest immutare physice ipsam potentiam intellectivam Angeli, reddendo illam perfectiorem, et vivaciorem, quia potentia Angeli non est qualitas suscipiens magis, et minus, sed est naturalis potestas tamquam propria passio ipsius naturæ, quæ in qualibet natura angelica habet totam perfectionem illi naturæ debitam: et sic non potest augeri: quod si posset, non hoc fieret ab altero Angelo, sed a suo creatore, qui solus potest intellectualem naturam immutare. Similiter non potest alter Angelus producere lumen, quod sit habitus in altero An-

gelo: nam, vel ille habitus esset naturalis, vel supernaturalis. Naturali non utitur Angelus, quia habet potentiam intellectivam perfectam in ordine ad naturalia, nec habitum acquirit, sicut nos, qui paulatim proficimus de imperfecto ad perfectum, et ipsa assuetudine proficimus: Angelus autem non sic procedit, nec melioratur per assuefactionem habitus; et casu quo melioraretur, hoc acciperet per suam assuefactionem, qua acquireret habitum, non per alterius Angeli infusionem, qui non potest supplere assuefactionem, sicut Deus qui potest infundere scientiam alias acquisibilem. Denique, non potest Angelus imprimere speciem in intellectu alterius, sicut exigitur ad illuminationem, quia ad summum posset Angelus suimet speciem imprimere alteri Angelo, sicut quodlibet objectum imprimit speciem sui in potentiam cognoscitivam. Hac autem non indiget alter Angelus ad illuminationem, cum a principio quilibet Angelus habeat speciem representantes alios Angelos. De aliis autem rebus non potest unus Angelus infundere aliis speciem, quia vel illas continet Angelus ab initio, et sic non indiget sibi infundi, vel casu quo non contineret, non posset alter Angelus eas infundere, quia non continet in se perfectiones, nec ideas aliarum rerum ut posset aliarum similitudines imprimere, nec habet vim intellectus agentis ut possit ex objectis speciem elicere pro altero Angelo: essent enim illæ speciem valde imperfectæ, sicut sunt nostræ, quia per abstractionem ab objectis fiunt, et tunc convenientius quilibet Angelus haberet suum intellectum agentem, sicut habet anima nostra, quam unus Angelus respectu alterius haberet vim vel potestatem intellectus agentis. Quare

nullo modo apparet quod Angelus illuminans possit aliquid physice producere intra intellectum alterius. Cui additur, quod unus Angelus non potest illabi intra alterius intellectum, ut est commune proloquium theologorum, sed hoc est proprium Dei qui ipsam naturam intellectivam propter suam perfectionem, et universalitatem solus immutare potest, nec alteri agenti subicitur. Ut autem Angelus effective operaretur intra mentem alterius debebat illabi intra illam, et non solum esse illi propinquus, vel indistans, ut citato loco, disputatione XXI ponderavimus.

V. Secunda pars conclusionis ex priori relinquitur manifesta, quia si non potest Angelus illuminare alterum per efficientiam physicam luminis, in illo relinquitur quod solum fiat mediante propositione objecti clarius, et illuminatius propositi, sicut magister docens discipulum, illuminat illum per propositionem clariorem objecti. Unde fit quod si quæramus agens physicum, et effectivum illius majoris illuminationis, quæ datur ex parte Angeli illuminati, erit ejus intellectiva vis, quæ ad propositionem objecti magis illuminati, et propositi ab Angelo loquente, qui loquendo illuminat inferiorem producit efficaciorum, et perfectiorem actum circa talem veritatem. Ex parte autem Angeli illuminantis vis effectiva illuminationis est ejus intellectus producens conceptum representativum veritatis, quam ordinat, et dirigit ad Angelum inferiorem, sic disponendo, et coaptando illam juxta quod est capax intellectus inferioris ad percipiendum. Et ita objectum propositum ex quo illuminatur Angelus inferior relucet, et exprimitur in conceptu Angeli illuminantis, ad quem respiciens inferior, tamquam ad conceptum directum ad se juxta

modum illius elicit conceptum suum, et hoc est illuminari, et perfici ab illo. Quod autem ista propositio veritatis illuminatæ habeat illos duos effectus in mente Angeli inferioris, scilicet confortare virtutem intellectivam, et speciem representativam proportionare, et perficere in ordine ad tale objectum vivaciori, et distinctiori modo representandum, melius ex solutione sequentis objectionis percipitur.

VI. Objicies D. Thomam in ista quæstione CVII, art. I dicere, quod : « Unus Angelus illuminat alterum secundum duo, primo fortificando virtutem ejus intellectivam, sicut corpus minus calidum ex propinquitate ad magis calidum perficitur in calore. Secundo, ex parte similitudinis, quatenus Angelus superior notitiam veritatis quam in universali accipit, distinguit juxta capacitatem inferioris : » ergo Angelus non solum illuminat proponendo objecta, sed etiam influendo active in ipsam virtutem intellectivam, si quidem illuminatio, quæ fit mediante propositione objecti, solum pertinet ad illuminationem ex parte speciei, quia ipsa est quæ representat objectum : ergo illa alia confortatio ex parte virtutis intellectivæ distincta ab ista quæ tenet se ex parte speciei, influentia physica est. Et hæc mens D. Thomæ fit magis manifesta, ex his quæ docet infra qu. CVII, art. I, ubi loquens de modo, quo magister illuminat discipulum inter homines, dicit quod : « Magister confortat intellectum addiscentis, non quidem aliqua virtute activa, quasi superioris naturæ, sicut supra dictum est de Angelis illuminantibus, quia omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturæ, sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, etc. » Ergo sentit

quod illuminatio Angeli, quia est superioris naturæ, non fit per solam propositionem objecti, sicut apud homines, sed etiam per aliquam actionem physicam, seu activitatem naturæ superioris in inferiora.

VII. Respondetur utrumque illud munus, et confortationis intellective virtutis, et illustrationis representativæ ex parte speciei, fieri ab Angelo, non per effectivam influentiam intra intellectum, sed per representationem, et propositionem objecti, in qua et melior representatio objecti fit, et efficacia virtutis intelligentis exprimitur, qua percepta inferior intellectus confortatur : quod enim hæc confortatio non fiat tradendo lumen naturæ aut gratiæ inferiori Angelo, s. doctor expresse docet in hac quæstione CVI, art. I ad II. Et iterum qu. XII de veritate, art. VIII ad IV dicit quod : « Angelus neque lumen in intellectu humano creat, neque species in vi imaginativa, sed operatione Angeli lumen naturale in intellectu humano divinitus confortatur, et secundum hoc, hominem Angelus illuminare dicitur. » Manifeste ergo distinguit confortationem luminis naturalis ab impressione specierum, et creatione luminis, quod pertinet ad influentiam physicam. Et quod hoc fiat ab Angelo per medium representatum, et oblatum inferiori Angelo, docet expresse S. Thomas in II, dist. IX, qu. I, art. II ad II dicens quod : « Confusio intellectus est in hoc, quod est in potentia respectu plurium, per lumen ergo receptum a Deo mediante superiori Angelo, liberatur intellectus angelicus ab hac dissimilitudinis confusione, in quantum terminatur ad unum, cui fortius inhæret, quanto magis medium cognitionis efficax est, sicut patet in eo, qui nescit, quam partem contradictionis eligat, sed invento medio probabili magis ad

unam flectitur, sed addito medio demonstrativo, magis firmatur in illo. » Ecce quomodo S. Thomas ponit totam confortationem luminis angelici ex parte medii confortantis, id est, tollentis confusionem, quæ erat in Angelo, non ex parte infusionis novi luminis, vel productionis speciei.

VIII. Itaque Angelus illuminans in aliquo convenit cum homine docente, in aliquo excedit. Convenit quidem quantum ad hoc quod est proponere objectum melius dispositum exteriori propositione, et non intra intellectum operando, vel tradendo, aut imprimendo lumen, vel species effective. Excedit in hoc quod medium illud seu objectum propositum ab Angelo illuminante cum sit superioris naturæ, et elevatioris intellectus, etiam in modo operandi inferiorem intellectum elevat, ita ut aliquando quasi rapiatur extra se ille qui illuminatur, et ad modum superioris intellectus illuminantis exerceat operationem suam. Unde aliquando videmus quod homines in excessu mentis rapiuntur, et cum abstractione a sensibus operantur, qui modus operandi provenit ex efficacia propositionis objecti facta a superiori virtute, sive a Deo, sive ab Angelo, qui per efficaciam ipsius objecti propositi, etiam modum operandi intellectus inferioris immutant, quod non potest facere unus homo respectu alterius, quando ipsum docet, quia non est superioris naturæ respectu alterius hominis. Angelus autem quia superioris naturæ est respectu hominis, et quilibet Angelus superior respectu inferioris, ideo propositio objecti facta a superiori Angelo non solum habet vim representandi objectum meliori modo distinguendo, et coaptando illud juxta captum inferioris quod pertinet ad perfectionem ex parte